Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quae humanis meritis dicunt aliquid applicandum.
Petit rex et propheta plenus gratia et benedictione caelesti ne
deseratur a domino. Sciebat enim quia si ille reliquerit nulla
se potestas, nullus honor regere praevalebit. nec se-
mel ei petisse non hoc ipsum subreptitione gemina-
ret. Despici enim semper addictum est, nec securus red-
di potest, quem iudicis serenus oculus non intuetur. Quoniam pa-
ter meus et mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit
me. Patrem suum Adam primum hominem dicit, matrem ux-
orem eius Evam, unde generatio humana descendit. Isti
ergo reliquerunt eum conditione mortali, nec enim
tutari valuerunt, quando de hac luce translati sunt. Quamvis
istud de ceteris genitoribus possit intelligi, quia domum
patris sui matrisque te reliquit, quando applis hebreis
ad regni culmen evectus est. Sequitur: Dominus autem assumpsit
me. in loco scilicet veri parentis. Pater est qui edidit, qui
regit, mater quia fovet, quia infirmos et parvulos
lactat. Assumpsit vero dixit, hoc est, deputata conditione
in regno posuit. Legem constitue mihi domine in via tua
et dirige me in semita recta propter inimicos meos.
Legem statuit, id est, illam poni deprecatur domini salvatoris, quia
debitores noscitur liberasse per gratiam. Moysi enim lex
illo tempore iam data erat. domini autem Christi sperabatur ven-
tura, quam se postulat debere constitui. In via tua in Christo
tuo, qui est via veritas et vita. Illo enim veniente iuste
praesumebat, qui eam et docere poterat et impleri posse
praestabat. Semita vero sicut iam diximus ad scripturarum
intelligentiam pertinet. Precatur ergo propheta ut veteris testamen-
ti recte libros intelligat et venturum in eis dominum
esse cognoscat. Propter inimicos autem dicit, id est hereticos
sive incredulos iudeos, qui eos nitebantur prava in-
tentione subvertere. Ne tradideris me in animas
persequentium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui
et mentita est iniquitas sibi. Secundum historiam potest intelligi
de Saule, qui eum acerrimo odio persequebatur. Sed quoniam rex
erat, nec poterat solus agere quae iubebat, apte numerus
pluralis hic positus est. Simili modo cum Doech
Idumeus eum prodidisse legatur, plurali numero
posuit testes iniquos. Fieri enim potuit ut quando eum regi
accusavit, per testes alios dicta sua probare voluisset.
Quapropter congrue positus numerus pluralis advertitur,
quando persona talis per unum tantum non facile poterat accu-
sari. Testes ergo iniqui fuerunt Doech Idumeus eique similes
qui eum prodiderunt Sauli a propheta Achimelech fuisse susceptum
et gladium illi suppetiasque datos. quod rex sacerdotis atque filiorum
eius morte resecavit. Mentiti sunt enim dicentes contra regem
Saulem David fuisse consilia data, dominumque pro eo fuisse
deprecatum. Quod latius regum textus eloquitur. Pulcherrime
autem dixit sibi, quia mendacium sui poenam recipit qui falsum testi-
monium proferre contendit. Sive ut alii dicunt idioma
scripturae divinae ut pro singulari pluralis numerus
apponatur et iterum pluralis numerus pro singulari in-
veniatur adiunctus. sicut de Herode mortuo legitur
dictum: Mortui sunt qui querebant animam pueri.
Vel Moysi de Pharaone pronuntiatum est: quia mortui
sunt qui querebant animam tuam. Credo videre bona
domini in terra viventium. Postquam multis modis dominum
deprecatus est ne persequentibus traderetur, ad confidentiae suae
redit auxilium, seque ipse promittit quod bona videat
in terra viventium, id est in futura vita, ubi bona sunt
sempiterna. Et ideo proprie dictum est terra illa esse viventium,
quoniam ista morientium est. Qui status apud oratores dicitur
collectivus, quando colligitur scripto id quod scriptum non est,
ut perinde esse doceatur ac si scriptum fuisset: ita hic futura
praemia ex ante cedentibus beneficiis se credit esse ventura.
Terram autem viventium ipse scriptura divina commemorat.
Additum est: Expecta dominum. Scilicet qui promittendo non fallit,
qui praestando non imputat, sicut beatus Iacobus apostolus dicit:
Qui dat omnibus affluenter et non improperat. Viriliter age
et confortetur cor tuum et sustine dominum. Quoniam superiori
versu crediderat videre se bona domini, nunc dicit quem-
admodum videre se possit. Hoc autem verbum viriliter
non solum viris sed et feminis credamus esse mandatum. nam
et viri cum mollescunt animo feminino sunt, et mu-
lieres viriles efficiuntur, cum in bono proposito mentis
robore perseverant. Sequitur: Et confortetur cor tuum. ne